





1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottfr. / diff. de Genuina vocum xarakter et ypostasi notione, Lipsie 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de jesu Christo vindice dogmatis de mortuorum ad vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatrici, Lipsie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines, jena 1701.
6. diff. de regno Israelii restaurando, jena 1704.
7. crocodilus lachrimans, jena 1733.
8. diff. de Jesu Christo deandropo, jena 1704.
9. diff. de gloria mundi, jena 1661.

13  
DISSERTATIO INAUGVRALIS  
DE  
LINGVA  
ADSCITA HOMINVM  
ORBIS BABYLONICI

AD ILLVSTR. XVIII VERS. III CAP. ESRAE

QVAM

EX AVCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

*PRAESIDE*

DOM. IOH. ANDR. MICH. NAGELIO

METAPHYSICES ET LINGVARVM ORIENTIS P. P.

FAVTORE ET PRAECEPTORE AETERNVM  
VENERANDO

*PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS*

RITE LEGITIMEQVE OBTINENDIS

D. XXV IVNII A. S. R. c1o1occcxxx

*PVBlice TVEBITVR*

IOHANNES BARTHOLOMAEVS RIEDERER  
NORIMBERGENSIS.

---

*ALTORFII NORICORVM*

STANNO IOHANNIS ADAMI HESSELII.



THE SEAT OF THE UNIVERSITY OF

DE

LEININGEN

ADSCITIA HOMINUM

ORBIS BARBOLONIS

ADRESSE AMM VERE IN CALIFORNIA

QUA

EX AVCTORITATE

ADRESSE AMM VERE IN CALIFORNIA

FRANCO

DOM JOH. ANDR. MICH. NAGELIO

METAPHYSICIS ET LINGVARIIS ORIENTIS ET

AVTORE ET PRAEFECTO R. ARTIUM

UNIVERSITATIS

PRO SMMANIS IN THEOLOGIA ET PHILOSOPHIA

ET LINGVARIIS ORIENTIS ET

D. XXV. JUNII A. R. 1781. CALIFORNIA

ET ALICE FRIDR. N.

IOHANNES BARTHOLOMAEUS HEDDICH

NORMA

UNIVERSITATIS

STAND. IANUARIUS 1781





DISSERTATIO INAVGVRALIS  
DE  
LINGVA ADSCITA HOMINVM  
ORBIS BABYLONICI

AD ILLVSTR. XVIII VERS. IIII CAP. ESRAE.



Recte quosdam censere sacrarum literarum <sup>Proe-</sup>  
solertes atque assiduos indagatores, qui in <sup>mium.</sup>  
animum inducunt, latuisse diu, et adhuc  
latere, aliquas ueritates exegeticas: illis, qui  
nocturna diurnaue manu diuinum uersan-  
tur codicem, facile persuadebitur. Angu-  
stioribus certe terminis clausum est inge-  
nium humanum, quam quod uel ea cito  
ad unguem circumspicere atque comprehendere, ualeat, quae  
proprie ex his linguis sunt explicanda, quarum sufficientia et  
idonea monumenta ad tempus nostrum haud propagata sunt.  
Interim tamen tandem fit, ut quidam, qui aut linguae Ara-  
bicae, aut Persicae, periti sunt, quarum illa cum sermone  
Hebraeo, haec uero cum Chaldaico, ualde congruit, saepe lo-  
ci alicuius uerum, cum suis rationibus, sensum retegant, qui  
fatis multos annos quasi obscuratus iacuit. Possemus in praes-  
enti facili labore eiusmodi uiros doctos recensere, quorum  
opera hoc in genere enituit, si quidem eos illis, qui hac eru-  
ditiōe delectantur, ignotos esse opinaremur: sed ostende-  
mus potius specimine quodam, quo publicam studiorum nos-  
trorum rationem reddituri sumus, nobis curae cordique esse,  
tam illustrem aliorum industriam, quantum id uirium nostra-  
rum exiguitas permittit, sequi; ac locum, qui ESRAE IIII, 18  
legitur, rectae et genuinae interpretationi uindicabimus, et  
clarae luci restituemus.





DISSERTATIO §. I

Aliorum  
quorundam  
inter-  
pretum,  
eorumque  
Christia-  
norum, ex-  
plicationes  
loci  
nostri.

Antequam nostram prodamus loci citati explicationem, operae pretium facturi esse uidemur, si paucis indicemus, qua ratione alii interpretes hunc uersiculum intellexerint, ut ita eo facilius iudicari queat, quam commoda aut incommoda habenda sit explicatio nostra, et, utrum forsitan alia ei sit praefereenda. Rei caput uersus nostri enodandi uersatur in recto cum rationibus suis sensu uocabuli **מפרש**. Hoc ex Christianorum interpretibus IOHANNES BUXTORFIVS in *lexico suo Hebraico et Chaldaico*, uerbo **פרש** exponit per uocem, *explicate*; eodem modo id accepere IOHANNES AVENARIVS, et IOHANNES HENRICVS EOCCEIVS, in *lexicis suis*, teste GVILIELMO ROBERTSONIO in *thesauro linguae sanctae*, pag. 844, col. 2. Simili notione hanc uocem VATABLVS in *criticis sacris* interpretatus est: *manifeste, inquit, lecta est.* (**מפרש קרי**) *exposita (explicata) et lecta fuit.* Neque ab idea hactenus proposita plane diuersam commentationem super locum nostrum ex quodam interprete MATTHAEVS POLVS in *Synopsi Criticorum* annotauit, qui ibidem ad illustrandum uersum nostrum haec tantum attulit: **מפרש קרי** *explicata est in praesentia mea. M. explicata est, lectaque coram me. Ti. V. Discant hinc principes, res suas curare, neque aliorum curae permittere; ut ipsi liberius indulgeant uenationi, aleae etc. Sic enim plebs impeditur et diripitur; Princeps male audit; domi forisque contemnitur; tandem etiam exiit regno.*

§. II

Rabbino-  
rum quo-  
rundam lo-  
ci huius  
expositio-  
nes.

Rabbini alias satis loquaces locum nostrum fere neglexere, cumque paene sine commentariis dimiserunt. IOSEPHVS IOCHIADVS haec duntaxat ei explanando addidit: **נשתונוה וכו' פרשנן הכתב ששלחה אלי מפורש נקרא לפני.** Quae uerba hic aut ita exponi possunt: *exemplum literarum, quod ad me dedisti, clare, siue distincte, mihi legerunt; aut sic: epistola illa, quam nobis misisti, Aramice uobis praelecta est.* Quarum uersio-  
num

num posteriorem IOCHIADAE menti conuenientem esse, ideo credimus, quia et alii Rabbinii hanc notionem cum uoce מפרש coniungunt; sicuti etiam R. SALOMO, MELECHI filius, fecit, qui loci nostri intellectionem his uerbis iuuare uoluit: (נשתונה ענין האגרת ופירושו כמו כתב הנשתון ופרוש נשתונה כתב המפורש ואינו לשון עברית כי אם לשון ארמית כמו שפרשנו I. e. uox נשתונה in genere notat epistolam. Nam sensus idem est, ac si scriptum legeremus: כתב הנשתון siue, exemplum epistolae. Putamus uero nomen נשתונה libellum המפרש, siue lingua Aramaea exaratum significare, non autem lingua Hebraica; sed Aramaea, uti diximus. Verum quidem esse, hanc epistolam lingua Aramaea fuisse conscriptam, nemo iure negare poterit, quum id ex ipso sancto Codice appareat. At enim uero quare epistola Aramice scripta, quae regi ARTAXERXI missa est, in loco nostro dicatur מפרש h. e. lingua adscita, fuisse recitata, hoc SALOMO MELECHIADES nunquam sciuit.

§. III

His addimus interpretes uetustiores, qui in bibliis polyglottis Anglicanis exstant. In uersione uulgata uersus noster ita exprimitur: *Accusatio, quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me.* Undeliquet, auctorem huius uersionis uocabulum מפרש explicasse per uerbum, *manifeste.* Syriaca interpretatio ita est conformata: סכף סגול אן ין יגולא

Examen uersionum uetustiorum loci nostri.

I. e. postquam autem allata

fuit epistola, quam mihi misistis, fideliter est lecta. Syrus ergo interpres existimauit uocem מפרש denotare, uere, fideliter. Versio Graeca haec est: ὁ φορολόγος ὃν ἀπέστειλάτε πρὸς ἡμᾶς, ἐκλήθη ἔμπροσθεν ἑμοῦ. H. e. tabellarius, quem ad me ablegastis, arcessitus ad me est. Uersionem Graecam, quantum ad uocem מפרש exprimendam attinet, arcte secuta est Arabica. Ceterum omnes hoc §. relatas interpretationes esse falsas, nostra uersio, quam statim edere instituemus, declarare poterit.

§. IIII

Illis, quibus ueterum res gestas cognoscere licet, non ob-

Via ad interpretationem nostram.





scutum est, populum uictorem haud raro uicto suam dedisse linguam. Aut enim euanescebat quasi uictae gentis lingua, cuius locum paullatim uictoris sermo occupabat: aut certe non amplius sola, uti ante, usurpabatur, sed etiam noui principis sermo in usu inter nouos parentes esse coeperat. Hinc bene recteque se habent, que v. CL. IOHANNES NICOLAVS FVNCIUS de *Adolescentia Latinae linguae*, pag. 39 et seq. ita exponit: *Adolescente uero et magis adaucto Romanorum imperio, ipsa etiam eorum lingua adolescere et dilatari coepit. Finito bello Punico primo, maximam Italiae partem Romani sub potestatem suam redigebant: quo sensim linguae aliae expirarunt; tandemque Graeca ipsa ualere et obtinere desit in Graecia magna, quae prouincia ab Graecis colonis occupata erat in extremis Italiae, ubi nunc Regnum Neapolitanum florere uidemus. Ita Romani commercio satis frequenti suo, uel si mauis imperio, quoquouersum uictricia extenderent arma, sermonem ubique introduxerunt patrium; o) qui mox et in illas extra Italiam positas et longe distitas prouincias, quando robur sentiebat maximum suum, clarissimis auctoribus emanauit. Fidenates additos Romanis colonos Latine sciuisse, Liuius Patavinus p) auctor est. Idemque testatur, Cumanis petentibus permissum, ut publice Latine loquerentur, et praeconibus Latine uendendi ius esset. q) Huic facto simile aliud in Syria et Aegypto tempore ALEXANDRI M. accidit, ubi*

o) VALERIUS MAXIMVS lib. 2, c. 2, e. 2: *Magistratus uero prisca, quanto pere suam populiue Romani maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cetera obtinendae grauitatis indicia, illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Graecis umquam nisi Latine responsa darent. Quin etiam ipsa linguae uolubilitate - - - excussa, per interpretem loqui cogebant, etc. Vt aliorum testimonia silentio transeam.*

p) *Histor. Rom. lib. 1, c. 27. Vbi postquam enarrauerat, quomodo Fidenates ad bellum et arma aduersus Romanos incitati fuerint, atque illis obuiam Albani exercitus collocati; Terror, inquit, ad hostes transit, et audierant clara uoce dictum: (scilicet Albanum exercitum circumduci, ut Fidenatum nuda terga inuadat,) et magna pars Fidenatum, ut qui coloni additi Romanis essent, Latine sciebant.*

q) *LIVIUS Histor. Rom. lib. 40, c. 42. conf. GODELEVAEVS annot. ad hunc loc. pag. 212. FRANCISCVS FLORIDVS SABINVS subcisiuarum lect. lib. 2, c. 1.*

ubi tunc per milites eius, atque amicos, qui ipsi in regno succedebant, Graeca lingua adeo inualuit, ut linguae patriae usum obtineret. Conf. CAROLI DV FRESNE *Glossarii ad script. med. et infim. Graecit. praefationem de causis corruptae Graecitatis*. Idem in terra Babylonica, cui primum lingua Chaldaica, h. e. eiusmodi lingua, quae cum sermone Persico ualde conspirabat, propria fuit, contigisse, atque ibidem per NABOPALLASARVM eiusque exercitum linguam Aramaeam, siue linguae Hebraicae admodum affinem, inualuisse, ostendit DOMINVS PRAESES in *diff. de lingua Aramaea*. Quae si nobiscum consideremus, mox intelligere poterimus, quidnam uoce מפרש in uersu nostro innuatur.

§. V

Quum nimirum lingua Chaldaica, uti in modo citata *diff.* est ostensum, propria esset Babyloniiis, quae, quod iam aliquoties monitum est, nihil communitatis habet cum Aramaea; et haec epistola, quae a BISCHLAMO ad Regem Persiae data erat, non fuisset scripta lingua Chaldaica, siue Babyloniiis patria, sequitur Regem iussisse remandari BISCHLAMO, eiusque sociis, sibi redditam fuisse epistolam et praelectam, non quidem lingua Babyloniiis propria, sed alia, consignatam; id uero est, quod uocabulum מפרש significat. Hoc itaque modo uersus noster est exponendus: *epistola, quam ad me dedistis, et quae non lingua, huic terrae ordinaria, siue Chaldaica, sed peregrina exarata fuit, mihi est praelecta.* Si quis autem inquirere uelit in rationes, ob quas lingua illis hominibus peregrina, uocabulo מפרש recte exprimi potuerit: eas facile ita inueniet. Scimus, ei, qui homines intelligere cupit, sibi neque gentiles, neque lingua utentes, quam ipse nouit; interprete opus esse, cuius auxilio alterius, quicum loqui uult, mentis sensa capiat. Et hanc ob causam lingua quaeuis, illis, quibus ea peregrina est, *lingua interpretanda*, siue לשון מפרש recte dicitur. Quapropter et lingua, qua epistola BISCHLAMI condita fuit, quum non esset Babylonica indigenitalis, sed peregrina, in loco nostro *lingua inter-*

Nostri uocabuli dicti interpretatio

Versio totius loci nostri.

Rationes significatus, qui in uoce מפרש inest.

inter-



- I *interpretanda ex prima sua notione appellatur; licet ea fere uulgaris in solo Babylonico fuerit reddita. Quia autem lingua patria cum suis conterraneis locuturi non indigent interprete, sequitur, eiusmodi linguam interpretandam esse peregrinam.*
- II *Hinc et ea uersus nostri oritur explicatio: Epistola, quam ad me dedistis, lingua peregrina condita fuit et lecta. Quae uero quum Aramaea sit, quod et §. III diff. huius, et auctoris loci, quem tractamus, testentur, tertia nobis nascitur haec interpretatio: literae, quas a uobis accepi, lingua Aramaea exaratae, mihi-que praelectae, fuerunt. Lingua autem Aramaea in Babylonia tam ualde, ut iam uidimus, facta fuit usitata, ut a plerisque reciperetur incolis; quamobrem ultima haec se profert expositio: epistolam uestram, quae mihi reddita est, lingua in terra Babylonica, non quidem patria, sed ubique tamen fere adscita, mihi legerunt. Et haec ultima loci nostri uersio, nisi nos omnia fallunt, in singulis aliorum ante adductis interpretationibus deberet conspici, quum uerum sensum huius dicti admodum commode prae se ferret, quia ita ostenderetur, BISCHLAMI epistolam non fuisse quidem lingua Babyloniis natiua conscriptam, attamen alia, cui, licet ipsis esset origine peregrina, ualde tamen fuerint adfuerint.*

### §. VI

Noua interpretationis nostrae confirmatio.

Non solum uero ex iis, quae diximus, iam clarum est, quomodo intelligendus et explicandus sit locus noster: sed etiam uersus 7 huius capituli ESRAE, si recte et attente consideretur, idem ostendit. Discimus enim ex eo, epistolam BISCHLAMI fuisse scriptam Aramice, et lingua explicanda, siue adscita, nimirum Aramice; hoc est, et characteribus Aramaeis exarata, quod uerba indicant: **וכתב הנשתתן כחוב ארמית**; et lingua explicanda, siue adscita; quod uoce **ומתרגום** dicitur; uocabulum enim **מתרגום** et **מפרש**, sunt synonyma. Ut autem sciretur, quaenam esset illa lingua explicanda, siue adscita, additur perspicuitatis causa **ארמית**, Aramice. Qua itaque lingua epistola fuit conscripta et Regi missa, eadem etiam ipsi fuit reddita et praelecta. Vnde denuo uides, nos uocabulum **מפרש**

in

in uersu 18 huius cap. recte exposuisse per linguam adscitam, siue, Aramaeam. Quum uero loquendi generibus, quae hoc §. in medium attulimus, uberiorem lucem affundere queamus, id hac opportunitate ideo non negligemus, quod ita etiam uersus nostri 18 genuinus sensus eo melius patefiat.

§. VII

Dum in uersu hoc 7 legimus, epistolam BISCHLAMI scriptam fuisse literis Aramaeis, in quaestionem incidimus, utrum illae diuersae fuerint a characteribus linguae Chaldaicae, an minus? quod ab eo, qui utriusque linguae rationes inspexit, facile poterit disceptari. Quum nimirum, quod iam effectum est, lingua Aramaea admodum congruens sit linguae Hebraicae, et contra ea lingua Chaldaica Persicae, et praeterea adhuc illa, quae in diuino uolumine lingua Aramaea exstant, literis Hebraicis, etiam in uetustissimis codicibus MSSC. perscripta cernantur, in eademque sententia, in qua nos sumus, ueteres quidam Doctores Talmudici sint, quod §. XI huius diff. ostendet: nos quidem affirmare dubitamus nulli, Aramaeos Hebraeorum habuisse characteres, et Chaldaeos, tales, quales Persae habebant. Vti autem notum est, literarum Persicarum et Hebraicarum figuras ualde inter se differre; ita iam perspicuum esse credimus, quare in uersu modo citato expresse commemoretur, epistolam BISCHLAMI Aramaeis fuisse consignatam literis. Quum uero Persae hoc tempore uarios scribendi receperint modos, u. g. *Neschi, Schlofi, Taalik, Iacuth*, nos definire non possumus, utrum etiam Chaldaei omnes has scribendi species habuerint, nec ne.

Quales fuerint characteres linguae Aramaeae; et quales existerint literae sermonis Chaldaici.

§. VIII

Synonyma uero esse uoces מפרש et מתרגם, nemo inficiari instituet, cui lingua Aramaea et Chaldaica, perspectae sunt; ex quibus liquet, uocem מתרגם esse origine sua uocabulum Chaldaicum, quod adhuc in lingua Persica superat; מפרש uero uocem Aramaeam, cuius ortus in lingua Hebraica inuenitur. Ceterum תרגם et פרש eandem rem significare,

Ostenditur, et מפרש מתרגם esse synonyma.

B

care,





care, etiam ELIAS LEVITA in *lexico* suo תשכי dicto, uoce תרגום  
 ita testatur: רבים חושבים כי לשון תרגום אינו  
 נופל רק על לשון ארמי ואינו כן כי תרגום רוצה לומר פירוש  
 וכן בעזרא וכתב הנשתחן כתוב ארמית ומתורגם ארמית  
 רוצה לומר ומפורש בלשון ארמי וכן כל המפרש לשון אחר  
 בלשון אחר נקרא חורגמן או מתורגמן H. e. multi arbitran-  
 tur, uocabulum תרגום tantummodo dici de lingua Aramaea, sed  
 falso. Nam uox תרגום nihil aliud significat, quam interpreta-  
 tionem. Ita u. g. in ESRA legitur: וכתב הנשתחן כחוב ארמית  
 ומפרש בלשון ומתורגם ארמית quod idem est, ac si dictum esset:  
 ומפרש בלשון ארמי. Sic omnis qui aliquam linguam alia explicat,  
 מתורגמן, aut תורגמן dicitur, aut מתורגמן. Ceterum ex loco ESRAE, quem modo illu-  
 strauimus, elucet, quando uerbum תרגום, quod uox Chal-  
 daica est, a Iudaeis in linguam suam fuerit admissum atque  
 frequentatum; quod nimirum in eo exsilio factum est, de quo  
 nobis cum DANIEL, cum ESRA, exposuerunt. Quae sententia  
 etiam exinde roboratur, quod uox תרגום nusquam in libris  
 ante hoc exsiliu conditis adhibita sit.

Quando  
 uocabu-  
 lum  
 תרגום  
 cum suis  
 deriuatis  
 in linguam  
 Iudaeorum  
 fit rece-  
 ptum.

### S. VIII

Verum lin-  
 gua Chal-  
 daica et  
 Persica  
 quodam-  
 modo fue-  
 rint distin-  
 ctae?

Valde similem fuisse linguam Chaldaicam Persicae, aliquoties  
 monuimus. At, utrum lingua utraque fuerit eadem, an non,  
 nunc disquirere nobis animus est. Rationibus autem quibus-  
 dam adducimur, ut asseueremus, earum discrepantiam paene  
 talem fuisse, qualis est linguae Gallicae et Italicae. Ostendere  
 hoc uidentur quaedam uoces Chaldaicae, quae in DANIELE oc-  
 currunt, quasque adhuc Persae habent; ex quibus obseruatur,  
 aliam fuisse terminationem Chaldaeis, aliam Persis; itemque,  
 uocabula nonnulla aliquibus scribi lingua Chaldaica literis, qui-  
 bus in altera, quasi abundantibus, carent; ut nunc nihil de  
 per-

permutatione literarum dicamus. Ita u. g. iam AVGVSTVS PFEIFFERVS in *thesauro suo Hermeneutico*, licet aliis rationibus, quam nos, permotus, pag. 222, et 292, uocabulum נבוכה DAN. II, 6, ex Persarum נבוכדנצר explicuit. Huic nos, causa instituti nostri, addimus הרטום DAN. II, 27, quod Persae הרדמנד efferunt; et סרבלין DAN. III, 21 et 27, quod Persae numero unitatis שלואר pronunciant. Utuntur praeterea Persae uocibus שרבנד et שרבנד, quae cum uocabulis סרבלין et שלואר multum conueniunt. Omnes autem, quas hactenus recensuimus, uoces aliquod discrimen linguae Chaldaicae et Persicae satis manifeste produnt. Utinam uero THOMAS HYDE, uir linguae Persicae longe peritissimus, efficere potuisset, quod secum constituerat, si consilii sui benignos inuenisset adiutores, et nobis *Liturgiam ZOROASTRIS*, uetusta illa lingua Persica, qua eam ZOROASTRES condidit, ualuisse publicare, et dubio procul ex ea melius certiusque iudicari posset, quatenus lingua Chaldaica a Persica distet, quam ex recenti sermone Persico, quo nos in praesentia dumtaxat niti cogimur; et a quo prisca Persarum lingua uehementer differt. Ceterum de his, quae modo diximus, HVMPREY PRIDEAUX in *Connexione Vet. et Noui Test. etc. part. 1, lib. 1111, pag. 218* ita disputat: *Denn alle ihre oeffentlichen Gebeter sind noch bis auf den heutigen Tag in der alten Persischen Sprache, in welcher sie ZOROASTRES zuerst vor ungefehr 1200 lahr aufszte, von welcher das gemeine Volk nicht ein Wort versteht. --- Jedoch als ZOROASTRES damals seine Liturgie aufszte, vvar das alte Persische die gemeine Sprache aller derselben Lande, vvo diese Liturgie gebraucht vvrde; et pag. 224 ac seq. hoc modo: Es vvrde (des ZOROASTERS Buch) immer noch unter ihnen in der alten Persischen Sprache und Schrift aufbehalten, und in iedem oratorio, oder Feuer-Tempel, eine Copey davon bevvahrt, aus welcher die Priester dem Volk zu gesezten Zeiten ein Stuck fürlesen. (g) DOCTOR HYDE, (g) Vid. eund. de re- ehemahliger Professor der Hebraeischen und Arabischen Sprache zu lig. net. Oxford, vvar souvol des alten, als heutigen Persischen trefflich er- Pers. c. I, pag. 25. fahren,*



fahren, und erbot sich daher das ganze Werk mit der Lateinischen Uebersetzung ans Licht zu geben, wenn jemand haette die Kosten des Verlags tragen wollen. Da ihm aber diese Hülfe und Ermunterung gefehlet, ist das ganze Vorhaben zu grossen Schaden der gelehrten Welt mit ihm gestorben. Denn ein Buch von solcher Antiquitaet sollte uns, wenn es zum Vorschein gekommen wuere, überaus nützlich gewesen seyn, und uns in vielen Stücken von den Zeiten, darinnen es geschrieben war, und davon wir wenig wissen, ein gross Licht gegeben haben.

### §. X

Docetur,  
Persas ori-  
undos esse  
a Chal-  
daeis.

Superest adhuc quaestio, quum utriusque populi lingua facile etiam utriusque cognationem monstret, utrum Chaldaei a Persis sint profecti, an Persae a Chaldaeis. Nos, qui cum aliis parentem nominis Chaldaei CHESEDVM esse opinamur, *Genes. XXII*, 22 memoratum; neque iis assentimur, qui Chaldaeos aut ab ultimis literis nominis אַרְכַּשְׁדַּי, aut a CHVSO; aut cum Talmudicis omnium absurdissime a particula כ et nomine שׁו dictos arbitrantur; ac praeterea scimus, Persarum diu demum post CHESEDVM in sacra scriptura incidere memoriam; itemque Chaldaeorum regnum ante Persicum floruisse, quod etiam ex DANIELE liquet: non possumus non eo perduci, ut censeamus, Persas a Chaldaeis esse ortos. Quid? quod ipsum Persarum nomen prodatur, eos esse gentem, quae se ab alia feiunxerit, et postea res suas habuerit sibi. Ex qua autem gente Persae exiisse uideantur, quam ex ea, cui in primis linguam habent similem? Significat autem uocabulum *Pharas*, a quo Persae nomen gerunt, *diuidere*, *diripere*, *necare*; ut adeo Persae uideantur initio fuisse multitudo ex gentis Chaldaicae colluue orta, quae latrocinando, et aliis uim inferendo, uictum quaesierit. Notat quidem uox פֶּאֶרֶשׁ in lingua Arabica etiam hominem artis equestris peritum: sed haec notio, quae fortasse apud alios populos, ob Persarum in equitando dexteritatem, dictae uoci, tanquam idea secundaria accessit, explicationi nostrae non aduersatur, sed potius prodest, quum latrones, qui bene equitare

tare norunt, eos, quos petunt, eo citius assequi ualeant. - **Ceterum de origine nominis Persarum IOHANNES BAPTISTA PODESTA in dissertatione Academica, continente specimen triennalis profectus in linguis Orientalibus, Arabica nempe, Persica et Turcica, pag. 33 seq. sic disserit: Si in nominis Persae inquiramus etymon, de Hebraico, Chaldaico et Arabico sapit, communis enim his tribus linguis radix, quae Arabice פֶּרַשׁ, farasa, sonat, et iuxta omnes tres linguas, fregit, diuisit, lacerauit, magis expresse Arabice: diripuit, necauit, significat, uocantque ipsi Arabes (quibus ut antiquissimis Orientis Magistris non deneganda fides) Persas פֶּאֶרֶשׁ, farison, quod est participium simplicis radices, uerbi transitiuui, frangens scilicet, diuidens, diripiens, lacerans, necans, neque ab hoc significato, ob rationes in sequenti themate uidendas, recedere placet. — Velle autem eos nuncupare פֶּאֶרֶשׁ farison, iuxta XENOPHONTIS rationem, quam refert HORNIVS, ab equitandi nempe arte, quam a CTRO Persarum rege, didicisse asserit, haec opinio, et suo niti potest fundamento. Habent Persae apud Orientis gentes adhuc alia nomina, de quibus idem PODESTA l. c. pag. 34 exponit, quae uero, quum huc nihil faciant, omittimus. De antiquitate autem Persarum citatus scriptor pag. 36: Praedictus, inquit, ABULFEREGIVS de Persarum antiquitate, in Dynastia quinta Persarum ita discurreit:**

**וקאל בעץ עלאמא אלענזם אול מן סלך בעד אלטופאן כיומרת  
כני שאם בן נוח.** Hoc est: Afferunt quidam e doctis Persarum, primum, qui post diluuium regnauit, fuisse CIYMERTVM, e filiis SEMI, filii NOE; eius antiquitatem in eo fundat: quum dicit: **וכאן ינול**

**פארש ואחכד אלאלאת לאעלאח אלטרק וחרף אלאנהאר  
פארש מא יוכל מן אלחיואן וקתל אלשבאע.** Et descenderat in Persiam, et confecerat instrumenta ad concinnandas uias et effodienda flumina, et mactanda ea, quae comedi solent, animalia, et interimendas feras. Nullum plane dubium, hoc satis ualidum, tum originis, tum antiquitatis esse signum, addit autem **כאן ינול kana ianzolo**, hoc est: descendebat seu descendit, ex quo colligere licet, CIYMERTVM ex alio loco in terram illam, quae postea



*stea Persia appellata, uenisse.* Nos, in qua sumus, de Persarum antiquitate, sententia, iam professi sumus, neque in re tantae antiquitatis ABVLPHARAGII, qui diu post CHRISTVM natum uixit, testimonium de CIYVMERTO exceptione firmiter arbitramur; praesertim quod ipse ABVLPHARAGIVS dicit, se quosdam dumtaxat hoc in genere sequi doctos Persas auctores. Addidimus etiam sententiae nostrae rationes, quas ad eam corroborandam habemus, quae si cui non arrideant, is, quamcumque uult, opinionem amplectatur.

## §. XI

Explicatio  
Talmudica,  
u. 7  
cap. III  
ESRAE,  
eaeque ex  
Talmude  
Babylonico,

His obseruationibus addere lubet explicaciones Talmudicas, huius u. 7 cap. III ESRAE, et quidem cum illas, quae in Talmude Ierusalemitano, cum has, quae in Babylonico deprehenduntur. Disputatur de l. c. in *Gemara Babylonica*, loco *Sanhedrin*, pag. 21, col. 2, et pag. 22, col. 1; en tibi ipsa uerba:

אמר מר זוטרא ואיתים מר עוקבא בתחילה ניתנה תור  
לישראל בכתב עברי ולשון הקודש חורה וניתנה להם כימי  
עזרא בכתב אשורית ולשון ארמי בידו להן לישראל כתב  
אשורית ולשון הקודש והניחו להדיוטות כתב עברית ולשון  
ארמית מאן הדיוטות אמר רב חסדא כותאי מאי כתב  
עברית אמר רב חסדא כתב ליבונאה תניא ר יוסי אומר  
ראוי היה עזרא שתינתן תורה על ידו לישראל אילמלא  
לא קדמו משה במש הוא אום ומשה עלה אל האלהים  
בעזרא הוא אום הוא עזרא עלה מבבל מה עלייה האמור  
כאן תורה אף עלייה האמור להלן תורה במשה הוא אום  
ואותי צוה " בעת ההי' ללמד אתכם חוקים ומשפטים  
בעזרא הוא או כי עזרא הבין לבבו לדרוש את תור " אלהיו  
ולעשו וללמד לישראל חוק ומשפט ואף על פי שלא ניתנה  
תורה על ידו נשתנה על ידו הכתב שנאמר וכתב הנשתנות  
כתו

כתו ארמית ומתורגם ארמית וכת לא כהלין כתבא למקרי  
 ופשר להודעא למכא וכתב את משנה התורה הואת כתב  
 הראוי להשתנו למה נקראת אשורית שעלה עמה מאשור חניא  
 רבי אומר בכתב זה ניתנה תורה לישראל כיון שחטאו נהפך  
 etc. להן לרועץ כיון שחורו בהן החזירו. Hoc est: refert Ma-  
 gister SVTHRA, (alii dicunt hoc assuerasse Magistrum VCBAM) ini-  
 tium legem datam fuisse Israelitis scriptura Hebraica, et lingua san-  
 cta, consignatam; denuo autem temporibus ESRAE, caractere As-  
 syriaco, et lingua Aramaica. Elegisse enim sibi tunc Israelitas scri-  
 pturam Assyriacam, et linguam sanctam, Idiotis uero reliquisse  
 scripturam Hebraicam, et linguam Aramaeam. Hic quae-  
 stio incidit, quinam sint idiotae? Auctor est R. CHASDA, eos esse  
 Cutaeos. Quae uero est scriptura Hebraica? perhibet idem CHASDA,  
 eam esse Libonensem \*) Adest etiam traditio, qua R. IOSE dicit,  
 ESRAE ~~magistrum~~ fuisse, per quem lex Israelitis promulgata esset, nisi  
 eum praeuenisset MOSES. De MOSE enim scriptum legimus, eum adscen-  
 disse ad DEVM; idem de ESRA commemoratur, dum dicitur, quod  
 ex Babylonia adscenderit. Qualis uero fuit adscensio hic relata? ob le-  
 gem facta est; sic etiam adscensio ibi exposita, legis causa fuit.  
 De MOSE porro dicitur: mihi autem praecepit DOMINVS illo tempo-  
 re, ut uos edocerem statuta et iura; de ESRA quoque legitur, cum  
 praeeparasse animum suum, ad explorandam legem DOMINI DEI sui, et  
 ad obseruanda et docenda Israelitas statuta et iura. Licet autem non  
 promulgata fuerit lex per ipsum, mutata tamen est ipsius opera li-  
 terarum forma, quod uel ex iis uerbis elucet: scripta epistola fuit  
 literis Aramaeis et lingua interpretanda, siue Aramice; uel ex  
 his

Exod.  
 XVIII, 3.  
 ESRAE  
 VII, 6

Deut. III,  
 14  
 ESRAE  
 VII, 10

ESRAE  
 III, 7  
 DAN, V, 8

(\*) Glossa dicit, scripturam Libonensem constare literis maiori-  
 bus, quales alias in amuletis, periaptis, itemque in postibus  
 Iudaeorum, inscriptae conspiciuntur. Multa uero, eaque per-  
 quam egregia de literis Libonensibus IOHANNES BVXTORFIVS, Fi-  
 lius, dissertatione de literarum Hebraicarum genuina antiquitate dispu-  
 tat, in dissertationibus philologico-theologicis, Basil. 1662, ord. quarti,  
 pag. 220 et seqq.



Deut.  
XVII, 18

his : haud potuerunt (Sapientes) scripturam legere, et eius significatum regi exponere. Huc spectant et illa: וכתב את המשנה הזאת quibus uerbis scriptura indicatur olim mutanda. Quare autem haec, de qua agimus, scriptura uocatur Assyriaca? quia cum Israelitis ex Assyria aduenit. Est et alia traditio. Rabbinus dicit, hac (scil. Assyriaca) scriptura data est Israelitis lex, quum autem sese peccatis inquinarent, conuersa est illis in characteres fractos (literisque Samaritanis similes); quum uero resipiscerent, pristinas recuperarunt literas. etc.

§. XII

In Gemara Ierusalemimana, loco Megilla, fol. 71, col. 2

Explicatio  
Talmudica  
super hoc  
loco ex  
Talmude  
Ierusalemi-  
tano.

eodem super loco haec leguntur: אמר ר' יוחנן דכית גוברין ד' לשונות נאים שישתמש בהן העולם ואלו הן לעז לומר רומי לקרב סורסי לאילייא עברי לדיבור ויש אומרים אף אשורי לכתב אשורי יש לו כתבו אינלו לשון עבריישלו לשון ואין לו כתב כחרו להם כתב אשורי ולשון עבריולמה נקרא שמו אשורי שהוא מאושר בכתבו אמר ר' לוי על שם שעלה בידם מאשור תני ר' יוסי אומר ראוי היה עזרא שתניתן תורה על ידו אלא שקדמו דור משה אעפ שלא ניתנה התורה על ידיו אף הוא ניתן כתב ולשון על ידו וכתב הנשתון כתוב ארמי ומתורגם ארמית ולא כהלין כתבא למיקרי מלמד שבו ביום ניתן ר' נתן אומר ברעץ ניתנה התורה ואתייא כר יוסה רבי אומר אשורית ניתנה התורה וכשחטאו נהפך להו לרעץ. ובשזכו כימי עזרא נהפך להו אשורית. Id est: dicit R. IO-  
„TAN Betgubriensis: quatuor sunt egregiae linguae, quibus uti  
„solet mundus, quae sunt: (1) uernacula ad cantum; Latina  
„ad bellum; Syriaca ad lamentationem; Hebraica ad facun-  
„diam, accommodata. Sunt, qui his addant, Assyriacam  
„linguam aptam esse ad scribendum. Assyriaca enim lingua li-  
„teraz

(1.) Glossa in margine habet: לעז פירש לשון יוני i. e. lingua uerna-  
cula hic significat linguam graecam.

„teras proprias habet, sed non est (2) propria lingua. Contra  
 „ea sermo Hebraicus est sermo proprius, sed destituitur pro-  
 „priis literis. Selegerant enim sibi (Israelitae) literas Assyriacas  
 „et linguam Hebraicam. Vnde autem uocatur lingua Assyria-  
 „ca? quod **רשום** (3) securo beata est reddita literis suis. R. LE-  
 „vius dicit, eam ideo dici linguam Assyriacam, quia per Iu-  
 „daeos ex Assyria allata fuit. Audi interim traditionem. R. IOSE  
 „perhibet, dignum fuisse **ESRAE**, cuius ope promulgata esset  
 „lex, nisi eum **MOSES** praecessisset. Quamuis enim per eum haud  
 „promulgata sit lex, literae tamen et lingua eius opera consti-  
 „tutae sunt, quod partim ex illis uerbis apparet: literis episto- **ESRAE**  
 „la scripta erat Aramaeis, et lingua interpretanda, siue Arami- **III, 7**  
 „ce; partim ex his: et non potuerunt legere scripturam. **DAN, V, 8**  
 „Quae una docent, eo tempore et hanc linguam et illas literas  
 „fuisse introductas. R. **NATAN** asseuerat, legem datam fuisse li-  
 „teris fractis, (Samaritanisue similibus). Ac enim uero recte  
 „sentit R. **IOSE**, qui tradit, legem datam fuisse literis Assyria-  
 „cis; quum uero (Israelitae) peccarent, uersas esse literas in  
 „fractas. Vbi autem tempore **ESRAE** iustitiae exercendae stude-  
 „rent, rediisse ipsis characteres Assyriacos., Quam bene aut ma-  
 „le haec a Talmudicis sint disputata, nemo non ex iis, quae di-  
 „ximus, perspicere potest. Certe iam clarum esse existimamus,  
 „etiam Talmudicos sensum eorum locorum sacri Codicis, quos  
 „in hac dissertatione exponere studuimus, plane non intellexisse.

### §. XIII

Postquam itaque ea promissimus, quae, publicum non- **Epilogus,**  
 nullum specimen edituri, in medium potuimus afferre, finem  
 ei ponimus, aequos beneuolosque lectores studiosissime ro-  
 gantes, ut qualescunque conatus nostros meliorem in partem  
 interpretari uelint, maioremque cognitionem ab aliis require-  
 re, qui maturiorem huius literaturae usum sibi com-  
 parare ualuerunt. C

(2) Est enim dialectus dumtaxat linguae Aramaeae. Conf. **DOM. PRAESIDIS** *diff. de lingua Aramaea*, §. VII et XI.

(3) In sermone Talmudico concinnitas inest in uocibus **רשום** et **רשום**, quae lingua Latina non optime exprimi potest.



**PRAESES**  
 CLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
 S. P. D.

**S**Vnt diligentiae praemia sua, neque pigritia apud aequos rerum arbitros eodem est loco et numero, quo assiduitas et peruigilandi studium, esse solet. Hinc uel languido hoc aeuo interdum uideas, qui neruos intendant, et sedulitatis iter fortiter et suscipiant et teneant. Norunt enim, quibus non est laeua mens, non solum ad decus et ornamentum, sed etiam ad ueram felicitatem, homini nihil magis prodesse, quam laudabili opera animo bonas scientias imbibere, atque ita se uulgaribus sententiis eripere ac erroribus. In his, CLARISSIME DOMINE CANDIDATE, sic mentem semper collocasti, eaque ita perpetuo sectatus es, ut omnibus literarum cultoribus et patronis comprobantibus, titulos et honores, quos philosophia amatoribus suis largitur, referre queas. Gratulor itaque et TVIS et TIBI hos sedulitatis TVAE fructus; gratulor TIBI quoque hoc specimen, quo publice ostendis, TE nouam illam dignitatem, quae breui in TE conferetur, bene promeritum esse; et a Deo altissimo religiose precor, uelit TIBI uitae TVAE integritatem; itemque animi et corporis bonam ualeitudinem, conseruare. Fac ualeas.

**I**ch dachte, werther Freund, zwar auf ein Lob-Gedicht;  
**I**ch weiß auch, daß es Dir mit allem Recht gehöret,  
 Allein, ich dachte: Der braucht fremder Ehre nicht  
 Den selbst die Weisheit liebt, den selbst die Weisheit ehret.

Hiemit wollte dem Herrn Candidaten sei-  
 ne schuldige Ergebenheit bezeugen

IO. AVGVSTIN. DIETELMAIR,  
 Reu. Min. Cand. Opp.

**S**ehrter Herzens-Freund! Hör, was die Treue spricht:  
 Da ohnedem Dein Ruhm bis an den Pindus steigt,  
 Und Pallas Dir den Preis als ihrem Liebling zeigt;  
 So brauchst Du meines Lobs und meines Wunsches nicht.  
 Doch sehnt mein Herze sich ein Opfer Dir zu weh'n,  
 Das sey mit wenigem: Du sollst beglücket seyn.

Dem Hrn. Candidaten zum gebührenden Ruhm  
 und sich in Desselben beständiger Affection  
 zu erhalten, setzte dieses

Wolfgang Friederich Schmid, aus Nürnberg  
 Theol. et Phil. Cult.

**D**ifferis egregie de linguis, suavis Amice,  
 Ingenii uires iudicii que probas.  
 Iam iam decernit meritos Tibi Phœbus honores  
 Apprecor idcirco prospera quaeque Tibi.

Hisce

Clarissimo nec non Doctissimo DN. Can-  
 didato, Amico suo plurimum obser-  
 uando, honores in Philosophia am-  
 plissimos capessenti, gratulabundus ap-  
 plaudit

IOH. SCHVLZ, Aurbstadio-  
 Francus, Opp.

Gloria



**G**Loria uirtutem ueram sequitur uelut umbra  
 Corpus. Demonstras hoc RIDERERE satis.  
 Post exantlatos summa cum laude labores  
 Ornant TE studiis praemia digna Tuis.  
 Doctrinas SOPHIAE sitiens uelut aure bibisti:  
 Hinc dat honorificum ius titulumque TIBI.  
 Quidni promptus ego tester mea gaudia uera  
 Pectore coniunctus qui TIBI semper ero?  
 Gratulor inde TIBI prosperrima quaeque pre-  
 catus;  
 Det Deus ipse TIBI quae modo cunque cupis.

His paucis  
 Clarissimo atque Doctissimo  
 DN. Candidato, Fautori et  
 Amico suo certissimo, ho-  
 nores philosophicos gratu-  
 latur

BENEDICTVS WILHELMVS MVNCH,  
 Norimb. Oppon.



EO - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle  
003 096 896

ULB Sachsen-Anhalt  
Ansprüchlichen

datum: 2008



Sb.

D.

Reh. ✓

J.H.

46





DISSERTA  
 LIN  
 ADSCITA  
 ORBIS  
 AD ILLUSTR.  
 EX A  
 AMPLISSIMI PH  
 PR  
 DOM. IOH. AN  
 METAPHYSICES ET  
 FAVTORE ET PR  
 VE  
 PRO SYMMIS IN  
 RITE LEGI  
 D. XXV IUNII  
 PVBI  
 IOHANNES BAR  
 NO  
 ALTO  
 STANNO IOH

